JNDEX LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE STUDIORUM JAGELLONICA

A DIE 1. OCTOBRIS ANNO MDCCCXXV.

AD MEDIUM MENSEM JULII ANNO MDCCCXXVI.

INSTITUENDARUM.

CRACOVIAE

TYPIS UNIVERSITATIS.

Civibus Literarum Studiosis

S. P.

Universitatis Studiorum Jagellonicae Cracoviensis

PRO

RECTORE

SEBASTIANUS GIRTLER

PHIL. ET MED. D. FAC. MED. DECANUS.

Cum Senatu Academico.

De Raymundo Parthenopeo, cujus summam legum seu juris civilis Romani Joh. a Lasko, communi inclyti Regni Poloniae privilegio a. 1506. jussu Alexandri I. inseruit, variae fuerunt sententiae, quarum prima eaque ingeniosissima haec est, quam Vir doctissimus Jllustrissimus Comes Ossoliński in dissertatione sua, *de Jure Romano in Polonia* in opere Polonice scripto: (*Notitiae literariae historico—criticae de Polonorum scriptoribus* Tomo *II.* Crac. 1819. 8vo p. 324—371.) protulit, scilicet: *Hunc Raymundum Parthenopeum s. Neapolitanum Jtalum unum e tribus Legistis s. Jurisconsultis fuisse, quos Avinione post a. 1337. ante a. 1343. Casimirus Magnus in Poloniam accersiverit, ut se in condendis Statutis Visliciensibus a. 1347. adjuvarent et scholae legum s. Juris Romani Casimiriae in villa Bawol dicta prope Cracoviam praeessent, forsitan ab a. 1343—1364., ut praeter hos tres Juris Doctores, alios tres Philosophiae praeceptores ad Sanctam Mariam in ipsa Cracoviae urbe ex Jtalia et Gallia accitos ad tradendam philosophiam idem sapientissimus Rex constituerat.* Attamen sunt alii, qui antiquiorem illo aevo Raymundum Parthenopeum putent, alii vero, qui eum aetate hac posteriorem censeant, ita, ut Vladislai Jagellonis tempo-

ribus circa a. 1400. vixerit et jus Romanum tum forte Cracoviae tradiderit. Nam in tertia Cracoviensis Universitatis litterariae erectione disertis verbis a. 1400. (vid. Ossoliński l. c. 365.) diversae cathedrae Juris Canonici et Juris Romani sedes dictae expressae sunt, certaque stipendia legentibus constituta fuerunt, videlicet Legenti Legum Codicem, Legenti Jnfortiatum, Legenti Volumen et Legentibus Digestum vetus et novum. — *Sedes infra scripta solariamus, sedem decretorum, sedem decretalium* etc. — Litem inter tam diversas sententias dirimere non possumus, quum ubique de Raymundo Parthenopeo nostro altissimum sit silentium, sed ecce novam edidit Vir doctissimus, cui multum auctoritatis in rebus historicis caeteroquin tribuere solemus, de eo opinionem, quae a vero alienissima est: *Raymundum Parthenopeum non Neapolitanum Jtalum, sed Magdeburgensem Saxonem fuisse.* Hoc novum inventum magnopere mirati, pauca ex ipsa Raymundi Parthenopei summa adferemus, quae eum Scholae Bononiensis Legistam, necquaquam Germanum, sed Jtalum Neapoli sive natum sive ad gradum Doctoris promotum probent. Nam a loco promotionis non raro nomen adsciscere sibi solebant novi Doctores. Sic Michaëlem Parisiensem Polonum de Bystrzykowa a. 1485. non Parisiis natum, sed bis in variis disciplinis post solennes disputationes, in philosophia et theologia honore doctoratus Lutetiae Parisiorum ornatum fuisse accepimus. *Hist: Bibl: Crac:* p. 42. Constat autem summa Raymundi Parthenopei libris III. qui in codice nostro Manuscripto a. 1459. tractatus dicuntur. Codicis illius descriptionem uberiorem jam dedimus in programmate ad Jndicem Lectionum 1816. ex qua id tantum in memoriam revocandum esse arbitramur: a Janocio Miscell. II. 110. summam legum Raymundi Parthenopei perperam Jacobo Parkosio Ecclesiae parochialis in Skalka Cracoviae Rectori s. Plebano a. 1456. adscriptam fuisse, qui Decretorum Doctor et Canonicus Cathedralis Ecclesiae orthographicum libellum linguae polonicae edidit a. 1456. *Comodosa linguae polonicae cognitio in scripto servitio.* Constat Codex Manuscriptus foliis 99. quaternis. Nomen auctoris summae legum non est expressum. Primus liber s. tractatus est de jure personarum, apud Laskonem fol. I—XII. paucis mutatis, quae exposuimus in Programmate a. 1816. Secundus liber de jure rerum, apud Laskonem folio verso XII—XXVIII. Tertius de jure actionum fol. XXIX—LIX. Hos tres libros, sive ut Codex noster vult Tractatus, genuinum Epitomes Raymundianae opus esse facile apparet, cui accessit tractatus quartus seu liber quartus, inconcinna et indigesta farrago, non a Raymundo Parthenopeo, sed a doctore Juris Utriusque fortassis Cracoviensi circa annum 1423. operi Raymundinae summae adjuncta. Nam hunc tractatum quartum neque caeteris libris tribus summae similem, nec satis prudenter e prudentissimo jure Canonico congestum esse quilibet deprehendet, qui eum accuratius perlegerit. Primum primis iisque tenuibus seculo XI. Scholae Bononiensis originibus Legistas jure jurando obstrictos fuisse constat, ne jus Romanum alibi traderent. vid. Muratorii Antiquitt. Jtalicae T. III. p. 901. Deinde ineunte et medio seculo XIII. demum Jus Romanum alibi tradi coeptum est, ut Neapoli ab Jmper. Friderici II.

tempore 1223. Patavii 1224. Aureliae sive Genabi in Gallia 1236. Mutinae a. 1260. Insignis Legista Bartholomaeus de Capua Neapoli promotus fuit a. 1276. Quid obstat, quin Casimiro Magno in animum inciderit, ut quoque Cracoviae Jus Romanum traderetur, atque quum in Germania tum nulli fere Legistae essent, aliunde eos accire non potuit, quam ex Jtalia et Gallia. Qui autem loci probant Raymundum Parthenopeum Jtalum fuisse, hi sunt 1) fol. I. Exordium Auctoris, qui se profitetur filiis scripsisse epitomen brevem ex jure Romano: *unam summam legum brevemque et utilem stilo plano.* Jllis enim temporibus non in Saxonia inferiori Magdeburgi, sed in Jtalia florebat Jus Romanum. Quid vero, si filii hic forsitan socios s. discipulos significent? cf. *Savigny Roem. Gesch.* T. III. p. 242. Sed ponamus, non socios et discipulos, sed filios natos hic significatos esse, quid inde sequetur? nonne id? Raymundum Parthenopeum, ut alios quam plurimos, Legistam fuisse laicum multa prole auctum. Animadvertendum est quoque id, hic professum esse Auctorem operis: se scribere velle tantum modo *summam legum*, non autem canonum, summam Juris Romani, non vero Canonici, quamvis ipse Juris utriusque peritus et Novae Legis s. Lombardae et juris Canonici et Decreti passim ad instar glossatorum mentionem fecerit.

2) Folio XI. Cap. LV. de regimine Civitatis: *Constat vero Civitas ex agricolis propter victum et artificibus propter amictum i. e. Vestitum et alia necessaria et ex negotiatoribus circa forum, ut ea, quae in hac civitate non reperiuntur, adducantur aliunde. Item ex mercenariis, et literatis et scientificis et maxime ex legistis, monetariis, campsoribus, militibus, armigeris, advocatis, propugnatoribus et rectoribus.* Quilibet aequus lector deprehendet ipse hoc loco descriptionem civitatis Jtalicae, Bononiae vel alius qualiscunque origine Romana, non Germanica, siquidem nulla hic mentio est de Scultetis, de Scabinis, de Advocato, Judice, de Burgravio vel alio quovis Gravione Germanico, sed qui memorantur hic advocati sunt causidici, causarum patroni, actores. Quid dicam de campsoribus, de literatis s. scientificis viris, de legistis? Haec omnia Bononiae vel alii cuique majori civitati Jtalicae studio generali ornatae competere potuerunt, non autem Magdeburgo, quamvis Saxoniae tum Metropoli, urbi amplae et diviti, in qua mercatura et archiepiscopalis sedes quidem florebat, sed nullum studium generale, nec juris, nec philosophiae scholae essent, praeterquam, quae ad parochiales Ecclesias et Cathedralem fuerint. Pergit autem Raymundus Parthenopeus in civitatis Jtalicae forma explicanda. Cap. LXI. *Bene leges invenire spectat ad Consules, bene custodire ad Magistrum Consulum* quem ibidem Magistrum civium dixerat, *bene judicare ad Judices.* Jdem *Magister Civium, Magister s. Rector Civitatis* dicitur Cap. LVII. Hinc patet non Germanicos hic Magistros Civium Bürgermeister et Consules, Rathmanne sed Jtalicos intellectos fuisse. Quamvis ex Jtalia ad constituendam civitatis formam et regiminis moderationem multa, immo plurima, in Germania recepta fuisse certum sit. Verum enim vero:

3) Locus palmarius, quem Jllustrissimus Ossoliński Comes laudavit, est folio XXX. Cap LXXV. *Est et beneficium, quod competit scolaribus. Scolaris enim, qui Bononiae moratur,*

subjectus est de jure communi Judici Bononiensi: eo quod Bononiae habitat. Sed per privilegium potest hoc declinare et dicere, quod velit coram suo Judice conveniri. Si quis tamen natione Raymundum Parthenopeum Germanum Magdeburgensem, professione Legistam Bononiensem fuisse asserere maluerit, habeat id sibi, cur malit, sed cur id credat, non habebit. Quomodo enim Raymundus Parthenopeus, qui toties pleno ore loquutus erat de rebus et institutis Jtalicis, tacere potuit de sua Germania, de Germanorum moribus et institutis? Praeterea Raymundi nomen quamvis originis Gothicae, tamen in Germania fere inauditum, in Jtalia et Gallia usitatissimum fuit. Caeterum in Codice nostro summae ejus haec sunt quoque memoratu digna: folio verso 95. *Explicit liber de jure personarum et rerum et actionum et cetera sub anno Domini* 1459. *Ego Johannes Clericus de Bądzen.* Haec colore rubro: Tum nigro: *Jste liber legum supra scriptus continet in se tres partes, quarum prima tractat de jure personarum, secunda de jure rerum, tertia de jure actionum. Quorum omnium premissorum plenam notitiam habere quis poterit per regestrum sive tabulam immediate sequentem. Sequitur primum Capitulum* etc. Haec tabula non complectitur quartum tractatum, sed folio verso 98. in fine indicis ad librum III. L. (i. e. Capitulo L.) pena scil. in quaestionis de poena permutanda seu levanda indice. *Laus Deo et sancto Bartholomeo.* Tum rubro colore: *Jste liber finitus est simul cum tabula feria* V. *ante festum Viti proxima Anno Domini ut supra, in oppido Slawkow et cetera.* Vides ipse, benignissime Lector, indicatam a Librariis veritatem, qua luce clarius probatur: Tractatum quartum non a Raymundo Parthenopeo scriptum, sed ab alio bono, sed non valde perito viro forsitan Juris utriusque Doctore qualicunque additum fuisse. Jta factum esse vel obiter inspecta Laskonis editio edocebit.

Liber IV. inscribitur apud Laskonem folio verso LXIX Liber IV. *de vita et honestate Clericorum, in Codice nostro fol.* 83. verso: *Jncipit tractatus quartus de vi et honore Clericorum Capitulum primum.* Folio LX. *causas depravatorum in Clericis morum describens et dignitatem sacerdotii ostendit atque doctrinam episcopis in ordinandis clericis.* Capitulum II. Hoc caput totum deest in Codice nostro, sed folio verso 84. sequitur: *de immunitate Ecclesiae.* Tum Lasko perverso ordine fol. LXI. *Ad idem de ecclesiasticis personis Capitulum VIII.* Jdem habet librarius noster fol. 85. atque neglecta a Capite II. numeratione congruit cum perturbato apud Laskonem ordine folio verso LXI. *de foro competenti* Capitulum V. *de cohabitatione clericorum et mulierum.* Cap. VI. Folio LXII. *de testamentis* Cap. VII. *de reaedificandis ecclesiis* Cap. VIII. idque iterum, ut bis exstet Capitulum VIII. *de consecratione ecclesiae vel Altaris* Capitul. IX. fol. verso LXII. *de symonia* Cap. X. *de usuris et usurariis* Cap. XI. fol. r. LXIII. Cap. de verborum significatione Cap. XII. de Judaeis et eorum familiis Cap. XIII. Jdem in Codice nostro fol. 86. 87. 88. Tum sequitur fol. 89. Epistola S. Gregorii. Quae quidem Bulla est Gregorii XI. a. 1374. contra quosdam articulos Juris Saxonici apud Laskonem ideo hoc loco omissa, quia eam ad calcem Speculi Saxonici jam posuerat, quod quoque cum epistola ad Jmperatorem

Carolum IV. factum est fol. verso 90. Haec autem in Codice nostro suo loco sunt integra. Folio autem 93. occurrunt, quae apud Laskonem desiderantur et ad Cap. VI. supra memoratum de cohabitatione clericorum et mulierum spectant et non suo loco hic leguntur: *Sciendum est, quod secundum veterum opinionem presbyter* etc. . . . . . *Si de ejus notarietate constat, suspensus est ad se et ad alios.* (versib: 1—21.) Ad quam sententiam confirmandam et auctoritas S. Thomae Aquinatis et Decretalium Libr: III. c. 6. Lucii III. epistola, *vestra duxit devotio*: et Gregorii XI. L. III. c. 10. *quaesitum est de clericis*, et quaedam e Decreti P. I. dist. XXXII. fusius allegantur. Tandem folio verso linea 9. haec leguntur: *licet Juristae dicant, quod haec opinio, etsi tuta, tamen sit nimis dura et minus benigna, tamen hoc non est verum, ymo est magna benignitas* ipsis *peccatoribus, qua beantur* MCCCCXXVIII. Finit. Hoc loco, ni fallimur, indicatus est annus, quo Compilator quartum librum summae legum Raymundi, opus et a proposito consilio Auctoris et a materia rei scriptae alienum adjecerit. Quae autem apud Laskonem fol. LXIV. sub titulo: *nihil a moniali alicui religioni se dicare volenti exigatur* Bulla Urbani ut opinamur V. quam in Bullario frustra quaesivimus, item fol. LXV. de Legibus XII. Lycurgi leguntur, ea in nostro Codice desunt omnia. Sed post annum supra memoratum 1428. sequitur epistola nescio cujus ad nescio quem, quae apud Laskonem est folio ultimo LXV. quae incipit: *Egregie Princeps* et agit de justo et injusto bello, in qua quaedam e Decreti P. II. Caussa XXIII. quaestione II. decerpta passim occurrunt. Caeterum unde Lasko Lycurgi leges hauserit, ignoramus, sed in genuino Raymundi Parthenopei opere earum mentio facta est Folio II. v. 6. —

Juris Utriusque scientia, quantas et quales habeat delicias, Juvenes ornatissimi, probe videtis, nec desunt alii sui cujusque disciplinae fructus uberrimi, quibus ut fruamini fausti felicesque, faxit Deus Optimus Maximusque, cujus ad majorem gloriam dirigenda sunt omnia studia et literarum profectus.

ORDO THEOLOGORUM.

Nicolaus Janowski S. Theol: Dr. Moral: et Pastoral: et Eloquent: Sacrae Prof. P. O. Can: Ecclesiae Catth. Crac: h. t. Facult: Theol: Decanus, Jud. Sacr. Consist. Gener. Episcopat. Dioeces. Crac.

Horis pomerid. 1—2, diebus quinis per hebdomadem, scilicet die Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Saturni, tradet Theologiam Moralem ad mentem Ecclesiae Romanae Catholicae. Jdem praeleget etiam Pastoralem Theologiam et praecepta Eloquentiae sacrae docebit.

Florianus Kudrewicz Ord. S. Basil. M. S. Theol. D. Sacrae Script. Prof. P. O. Reipubl. Crac. Senator.

Horis matutinis 9—10. exceptis diebus Jovis, quotidie Archaeologiam biblicam, Hermeneuticam generalem et specialem Veteris Testamenti ac Philologiam tradet, demum explicabit Psalmos incipiendo a Psalmo XLV.

Matthaeus Kozlowski Ord. Praed. S. Theol. Dr. Hist. Eccles. Prof. P. O.

Hora matutina 10—11, quotidie, die Jovis excepto, exponet Historiam Ecclesiasticam, methodo Alberi.

Jdem uti Prof. Extraord. tradet iisdem diebus Thelogiam Dogmaticam methodo Klüpfelii hora pom. 2—3.

ORDO JURIS CONSULTORUM.

Adamus Krzyżanowski J. U. D. P. P. O. Vices Decani gerens.

Hora 8½—10. quotidie, diebus festis exceptis, Historiam Juris antiqui Polonici, deinde Codicem Civilem in Regno Poloniae vigentem, ratione Codicis Civilis Austriaci et legum antiquarum Polonicarum habita, tum Codicem mercantilem, qui in Regno Poloniae obtinet, cum applicatione legum, quae apud gentes vicinas in usu sunt, explicabit.

Augustinus Boduszyński J. U. D. P. P. O.

Hora pomeridiana 5ta ad 6½ Historiam Juris Romani, Institutiones Justinianeas cum provocatione ad Pandectas et Codicem Repetitae Praelectionis, tandem Jus feudale tradet.

Felix Słotwiński Phil. et J. U. D. P. P. O.

Hor. pom. 3—4. quotidie, excepto die Saturni, jus Naturae universum, privatum, civitatis et gentium, nec non Methodologiam et Encyclopaediam Juris docebit. Idem hor. matut. 8—9, diebus Lunae, Mercurii et Saturni, jus Ecclesiasticum tradet.

Nicolaus Hoszowski J. U. D. P. S. Reipublicae Cracov. Senator.

Horis matut. 8½—10. diebus Martis, Jovis et Veneris, 9—10. diebus Lunae, Mercurii et Saturni, disciplinas politicas tractabit, scilicet, primum Oeconomiam Nationum puram, deinde Oeconomiam politicam et Dotrinam redituum s. Financiae vulgo dictae, nec non Politiae ac tandem Theoriam Agriculturae et Constitutionis Regni Poloniae Liberaeque Civitatis Cracov.

Antonius Matakiewicz J. U. D. Ord. S. Stanislai IV. Classis Eques. P. P. O.

Horis matutinis a 10—11. quotidie exceptis diebus festis: semestri hiemali Codicem Judiciarium Civilem in Regno Poloniae vigentem explicabit et quae e Codice civili Austriaco judiciario et legibus antiquis Polonicis huc pertinent simul, exponet. Semestri aestivo Jus Criminale juxta textum Codicis Criminalis Austriaci cum applicatione Codicis Criminalis Polonici tradet.

ORDO MEDICORUM.

Sebastianus Girtler Phil. et Med. D. Politiae Medicinalis, Histor. Medicinae, tum Artis Veterin. P. O. P. h. t. Fac. Med. Decanus.

Hor. 11. cum dimidia ad 1. diebus Martis, Jovis et Saturni, Politiam Medicin. ex propriis scriptis lingua polon. tradet. Deinde ad praelegendum de Historia Medicinae, pariter ex propriis scriptis, secundum ordinem variarum theoriarum et systematum, cum necessaria recensione accedet, idque latino idiomate. Jisdem diebus ab hora 3. ad 6. pomeridie artem veterinariam explicabit, mox secundum Pilgerum, mox secundum Bojanum, aliosque Authores.

Ignatius Woźniakowski Med. D. ab Augustissimo Imperatore Austriae Rege Apostolico Honoris Numismate ornatus, vices gerens Facultatis Medicae Decani P. P. O. Supremi Consilii Membrum.

Diebus Lunae, Mercurii et Jovis ab hora 4. ad 5. idiomate polonico Chirurgiam theoreticam, eodemque idiomate Artem Obstetriciam diebus Martis et Veneris hacce hora tradet. Jam autem diebus Lunae, Mercurii et Jovis ab hora 11. ad 12. ante-meridiem Institutiones medico—chirurgicas tradet.

Adalbertus Georgius Boduszyński Med: D. Pathol: generalis, tum Therapiae generalis ac Mater. Medic: P. O. P. Reipubl. Crac. Protomedicus.

Horis matutinis 10—11½ diebus Lunae, Martis et Mercurii lingua latina Pathologiam generalem explicabit; diebus Veneris et Jovis doctrinam de materia medica tradet iisdem horis, tum de Therapia generali, diebus Veneris autem binis horis continuis, alternata praelectione a 10—12½.

Josephus Kozłowski M. D. Anatomiae et Physiologiae P. P. O.

Anatomiam et Physiologiam tradet idiomate polonico, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris hora 12—1. Praeterea tradet hyemali semestri pro oportunitate, tempore vespertino duas horas continuas Anatomiam practicam. Semestri vero aestivo Physiologiam diebus Mercurii et Veneris post meridiem ab hora 4. ad 5. tum Medicinam forensem diebus Veneris a 3 ad 4.

Sixtus Lewkowicz Med. et Chir. D. Ordinis S. Annae III. Classis, tum Legionis Honoris Eques, Chir. et Art. Obstetr. Practicae P. O. P.

Hor. pom. 3—4. diebus Martis, Jovis, et Saturni in curationibus Chirurg. rite instituendis, Auditores ad praxim formabit. Horis matut. 7—8. hyemali semestri, vernali et aestivo ab 6 ad 7. Clinicen Chirurgicam duce Richerand, obstetriciam vero ducibus Baudeloque, Boer et Widman quotidie exhibebit.

Josephus Brodowicz M. D. Pathologiae, Therapiae specialis et Clinices P. P. O.

Hor. matut. 7—8. semestri hyemali; 9—10. semestri aestivo, quotidie, diebus Saturni et festis exceptis, Pathologiam et Therapiam specialem lingua latina tradet. Clinicam autem praxin ab hora 8—9. matutino, a 4—5. pomeridiano tempore per annum totum docebit, Latine studiosos Medicinae et Chir. sublimioris, polonice discipulos Chir. inferioris.

Florianus Sawiczewski M. D. Pharmaciae P. P. O.

Diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis ab hora 9 matutina ad 10. Pharmaciam docebit, qua finita, aquarum mineralium naturam et indolem explicabit.

Julianus Sawiczewski Med. D. Prof. Extr.

Hor. pom. 2—3. diebus Martis et Saturni, tradet artem ferendi opem hominibus, qui in periculo vitae subito versantur, uti suffocatis, submersis etc.

ORDO PHILOSOPHORUM.

I.) FACULTATIS MATHEMATICAE ET PHYSICAE.

Franciscus Sapalski Phil. D. Geometriae descriptivae P. O. P. Reipubl. Crac: Senator. h. t. Facultatis hujus Decanus.

Horis 12—1½ Geometriam descriptivam tradet theoreticam, tum accomodatam perspectivae umbrarum, artibus fabrilibus et Gnomonicae, diebus Lunae, Mercurii et Jovis.

Hor. 12—1. diebus Veneris et Saturni Mechanicam et Hydraulicam per semestre aestivum.

Hora 11—12. matut. diebus Solis, Opificibus et Artificibus tradet Architecturam et Mechanicam practicam.

Aloysius Estreicher Phil. et Med. D. P. P. O. Senator Reipubl. Cracov.

Hor. matut. 10—11. quotidie exponet Zoologiam per semestre hyemale, ducibus Cuvier, Ocken, Jlliger, Lamark et aliis, qui hac de re tractarunt.

Hor. matut. 6—8. Botanicen tradet per semestre aestivum.

Hor. pom: 2—3 Diebus Martis et Jovis tradet doctrinam de generis humani varietate nativa per semestre hyemale.

Hor. pom. 6—8. exercitationes botanicas instituet et ad Botanicae practicae usum manu ducet, atque Dendrologiae rudimenta exponet per semestre aestivum.

Carolus Hube Phil. D. Matheseos sublimioris P. P. O.

Hor. matut. 8—9. quotidie, exceptis diebus Saturni, tradet Analysim finitorum, calculum analytico—trigonometricum, Trigonometriam sphericam et Geometriam Analyticam, praecipue theoriam superficierum secundi gradus, duce Hachette.

Hor. matut. 9—10. diebus Lunae, Mercurii et Veneris, calculi differentialis et integralis applicationem ad Mechanicam sublimiorem docebit.

Josephus Markowski Phil. et Med. D. Chemiae P. P. O.

Hor. 11—12. quotidie, exceptis festis, Chemiam docebit.

Hor. 9—11. diebus Solis Mineralogiam tradet.

Romanus Markiewicz Phil. D. P. P. O.

Hor. matut. $8\frac{1}{2}$—10. quater per hebdomadem, die vero Martis ac Saturni 9—10. Physicam experimentalem ac theoreticam ad normam sui opusculi in usum Lyceorum editi, addens huic ex tractatu Physices Biotii addenda ampliora de fluidis expansibilibus et incoërcibilibus, ut de annulis coloratis, polarisatione fixa, mobili etc. ad finem vero anni doctrinam de Electro—et Thermo—magnetismo, e propriis schedis praeleget.

Franciscus Szopowicz Phil. D. Mathes. Infer. P. O. P. Soc. Philom. Varsov. Socius.

Hor. matut. $7\frac{1}{2}$—$8\frac{1}{2}$. semestri hyemali, diebus Lunae, Mercurii, Jovis, Veneris, diebus autem Martis et Saturni ab hora 8—9. semestri vero aestivo a 7—$8\frac{1}{2}$ diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Veneris, jam autem diebus Martis et Saturni ab 8—9. Praeterea eodem semestri ab hora pom. 5—6. Algebram, et tractatum de sectionibus conicis explicabit.

Maximilianus Weisse Phil. Dr. P. P. O.

Hor. matut. ab $9\frac{1}{2}$—11. Astronomiam Theoreticam, horis pomer. ab 3—4. Astronomiam practicam diebus Martis et Jovis propriis e schedis praeleget.

II.) FACULTATIS LITERARIAE.

Paulus Czaykowski Phil. D. Literaturae Polonicae et comparativae P. P. O. h. t. Facultatis Phil. Literariae Decanus.

Hor. matut. 10—11. traditis praeceptis Eloquentiae et Poeseos, per Classicorum Auctorum exempla illustratis, Auditores ad Exercitia Linguae Patriae in utroque orationis genere ducet.

Julianus Czermiński Phil. D. Historiae P. P. O.

Hor. matut. 11—12. quotidie, diebus Veneris et Suturni autem a 5—6. pom. enarrabit I. historiam antiquiorem et recentiorem. II. Geographiam Physicam et Politicam. III. Docebit artem criticam, quae ad legendos historicos est necessaria. IV. Observationes in historiam Universalem duce Ferrando (Esprit de l'Histoire) tradet.

Georgius Samuel Bandtkie Phil. D. Bibliographiae P. P. O. et Bibliothecarius.

Hor. pom. $1\frac{1}{2}$ ad 3. die Mercurii, Veneris et Saturni, Bibliographiam profitebitur.

Collegium styli cultioris duce Beckio (Artis latine scribendi praecepta Lipsiae 1802) et disputatoria philologica et historica cum selectis juvenibus instituet diebus Martis, Jovis et Veneris hor. $7\frac{1}{2}$—9.

Hermannus Schugt Phil. D. Linguae Graecae P. O. P.

Hor. pom. 2—3. diebus Lunae, Mercurii et Veneris explicabit Annales Taciti.

Horis iisdem, diebus Martis et Saturni, Sophoclis Trachinias.

Horis pom. 4—5. Styli cultioris linguae Graecae praecepta profectioribus tradet. Semestri aestivo enarrabit Historiam Literarum Romanarum.

Guilielmus Münnich Phil. D. Linguar. Oriental. P. P. O.

Linguam Latinam una cum linguis Orientalibus docebit diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora 12—1½, Diebus Martis, Jovis et Saturni hora 11—12½.

Idem semestri aestivo Antiquitates Romanas explicabit.

Josephus Jankowski J. U. et Phil. D. P. P. O.

Hor. pom. 3—4. docebit Philosophiam theoret. et practicam diebus Martis, Mercurii, Veneris et Saturni, Exercitationes vero paedagogicas instituet die Lunae hora 3—4. Diebus Martis et Saturni mane hora 7—8. Historiam Philosophiae tradet.

Lectorium in Bibliotheca publica Univ. Crac. patebit hor. pom. 2—4. hyemali, 3—5. aestivo semestri diebus Lunae, Martis, et Jovis. Hospitibus vero extraneis, qui Bibliothecam, Musea, speculam Astronomicam, et Hortum Botanicum invisere cupiunt, nulla hora praefinita est, dummodo tempus Praelectionibus sacrum Bibliotecario et Praefectis Museorum Mineralogici, Zoologici et Horti Botan. condonare velint. Quovis tempore de commoda hora certiores facti, curiosis hospitibus nunquam deerunt. Museum Physicum patebit curiosis, qui adesse dignabuntur, hora 10. matutina, finita praelectione.

Docebunt Artem pictoriam *Jos. Peszke* P. P. O. *et Jos. Brodowski* P. P. O. semestri brumali hor. mat. 8—12. Artem Sculptoriam *Jos. Szmelcer* P. P. O. ab hora 11—12. docebit. Linguam Anglicam tradet *Hermanus Schugt* 3—4. Germanicam *Ludovicus Teichmann* hor. pom. 2—3. Italicam *Stephanus Laberi* 5—6. *Andreas Ledru* Linguam Gallicam docebit quater de septimana diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni a 5—6.

Alexander Sołtowiewicz tradet linguam Rossicam, et historiam literaturae Rossicae ab hora 4—5. post meridiem.

Artem saltandi *Petrus Couder* quater per hebdomadem hor. pom. 6—7. Artem equitandi *Theodorus Cogen* pom. 2—3. diebus Lunae et Jovis, diebus vero Martis et Mercurii 3—4.